

» censeatur (77). » Si proinde ad compescendam relaxationum facilitatem concilium hoc suum edidit decretum, hoc ipso patet falsam esse interpretationem adversarii, iuxta quam amplissimum aditum concilium aperuisset ad relaxations faciendas, eas committendo unicuique episcopo, uti ex Cabassutio, et ex suffragio lato in concilio ipso Tridentino ab episcopo Augustano adnotavimus.

2. Adversarius, ut eruat ius in subditis ad habendam relaxationem, atque obligationem ad eam dandam ex parte superiorum, pro certo sumit illud *praestandum* obligationem inferre, et tamen, ut patet ex orationis serie, ea vox *praestandum*, non exprimit *debitum* relaxationis, sed *modum* praecipit, quo eiusmodi relaxations facienda sint, causa primum cognita, ac summa maturitate; prout magis patefit ex poena, seu comminatione adiecta: *aliterque dispensatio facta, subreptitia censetur.*

3. Universalis Ecclesiae praxis immediate post concilii Tridentini celebrationem iamdiu verum decreti sensum determinavit. Nam vel ii ipsi episcopi, e quibus decretum emanavit, ad sedes suas reversi recurrere consueverunt ad apostolicam Sedem, ut obtinerent relaxandi facultatem. At certe ipsi decreti Tridentini sensum ignorare non poterant. Duo concilia provincialis, quae in Galliis post Tridentinam synodum convocata sunt, scilicet Turonense et Tolosanum, ut suo loco vidimus, declararunt, episcopos haud posse dispensare ab impedimentis matrimonium dirimentibus. Demum, omissis theologis et canonum interpretibus, qui unanimes hac in re sunt, congregaciones Romanae verum germanumque Tridentini decreti sensum aperuerunt, ut testatur Benedictus XIV. his verbis: « Sacrae urbis congregaciones, concilii videlicet, et supremae inquisitionis, non semel proscripterunt tanquam falsam et temerariam propositionem asserentem episcopis ius dispensandi super impedimento dirimente publico, quod obsistat matrimonio

(77) Sess. XXV. cap. XVIII.

» contrahendo, etiamsi gravis urgeat illud contrahendi necessitas (78). »

4. Falso assumit adversarius Tridentinum ad perfectionem tandem adduxisse decreto suo relaxationum systema, dum prescrivit conditiones, sub quibus illae concedi licite possent, immo et deberent *ex iustitia*, ac fere abolevit relaxations *ex gratia*, propter quas solum adeunda esset apostolica Sedes. Quasi nempe ante id temporis Rom. pontifices dispensare consueverint absque cognita causa ac sine urgente gravi causa aut maiori utilitate; at vero *ex factis publicis* atque notoriis contrarium constat. Ut unum autem alterum in medium afferamus exemplum, sec. XIII. Alphonsus, rex Castellae, ad Clementem IV. recurrit facultatem petens tradendi filiam suam filio imperatoris Balduini, quorum nuptiis impedimentum obstabat. At Rom. pontifex non satis graves iudicavit causas relaxationis, quam rex exposcebat, hinc eam denegavit describens: « Quia pp. ss. causa non in ea sunt soliditate fundati, ut ab eis nullatenus regredi deceat aut oporteat, nisi magna id suadeat *utilitas*, aut *necessitas iusta* compellat, quorum neutram videre potuimus, in filiae tuae et carissimi in Christo filii nostri Balduini imperatoris Constantinopolitanus nati copula, pro qua nostrae dispensationis *gratia* petebatur etc. (79). » Contra vero idem pontifex Clemens IV. impedimentum relaxavit cum filio regis Siciliae, eo quod viderit iustas adesse causas: « Etsi, inquit pontifex, coniunctio copulae coniugalis in quarto consanguinitatis et affinitatis gradu sacris sit canonibus interdicta, apostolicae tamen Sedis providentia rigorem mansuetudine temperans, super his dispensat interdum, et quod negat juris severitas, de *gratia* benicitatis indulget, praesertim cum *necessitas* exigit, et *causa rationabilis* id exposcit (80). » Sic Alexander IV. an. 1258. a Galliarum rege rogatus legem solvit de consanguinitatis gradibus; contra vero Waldemaro,

(78) *De synodo dioec.* lib. IX. cap. II.

(79) Apud Martene *Anecdota*. tom. II. pag. 505.

(80) Ibid. pag. 537.

Svecorum regi, veniam dare detractavit, ut nuberet Sophiae, suae ex fratre nepti ; postea tamen gravioribus expensis causis hanc ipsam veniam dedit, et ita nuptiae illae conciliatae sunt ut refert Raynaldus (81). Aliud exemplum suppeditant Clemens VI. et Innocentius VI. apud Baluzium (82). Item Ioannes XXII. qui veniam, quam propter cognationis impedimentum Aragoniae rex ab se postulaverat, concedere renuit apud Raynaldum (83). Plura alia eiusmodi exempla suppeterent, quae necesse non est per singula referre. Interim ex allatis luculenter patet quomodo iamdiu ante Tridentinum concilium cognitae ac servatae fuerint conditions ab eodem concilio recensitae ad licitam relaxationem faciendam, magna scilicet utilitas, aut necessitas, aut causa rationabilis, quas tantum illud renovavit ac sancivit.

Hisce nihilominus non obstantibus, relaxatio data est non tanquam *ex iustitia* debita, sed *ex gratia*, ut patet ex rescriptorum allatorum verbis, et ita se constanter gesserunt Rom. pontifices sive ante sive post Tridentinum decretum.

Quod si nimium frequens et larga gratiarum effusio, ut loquitur Clemens IV. (84), scandalum non raro peperit, num huic tam largae gratiarum effusioni opportunum obicem posuisse concilium, si facultatem suo decreto dedisset episcopis singulis impedimenta relaxandi, quando id necessitas et iusta causa postularent, adeo ut reservatae dehinc essent apostolicae Sedi relaxations tantum *ex gratia*, permissae vero imo et iniunctae singulis episcopis relaxations *ex iustitia*? nemo post ea, quae hac-

(81) Ad an. 1258. n. X. et 1259. n. XIX. pag. 27. et 39. tom. III. ed. Lucens.

(82) *Miscellan. diplom.* tom. III. ed. Lucens.

(83) Ad an. 1329. n. LXXXVIII. seq. pag. 46. tom. III. ed. cit.

(84) En verba Clementis in respons. ad Alphonsum, Castilliae regem : « Larga » in hac materia retroactis facta temporibus diversarum effusio gratiarum » multos reddidit sub spe veniae faciles ad incestum : tantum crimen eo » levius licet temere iudicantes, quo facilis ante coniunctionem vel postea » dispensationis gratia poterat obtineri. » Apud Martene *Anecdot.* tom. II. pag. 304 seq.

tenus dicta sunt, profecto id sibi persuadebit. Ex hisce omnibus animadversionibus primum est inferre, quam inane sit principium distinctionis inter dispensationes gratiae et iustitiae, ut inde Romanorum pontificum praerogativa limitetur, et episcoporum communis auctoritas augeatur.

Quatum principium petitur ex natura ac indole reservationis, quam vocant. Siquidem reservatio, inquit Litta, non est nisi impedimentum exercitii priorum iurium, ut evadat iuris alieni (85). Porro haec definitio complectitur tria reservationum genera, scilicet 1. delegantis super delegato; 2. superioris super inferiori; 3. renunciatarii super renunciante (86). Reliquis autem omissis, reservatio superioris respectu inferioris, quoniam supponit ius extinguibile, sic referri nequit ad aliquod ius vere episcopale, cum hoc sit prorsus indelebile, prout est ordo, qui illud includit; adeoque reservationes pontificiae nunquam afferre nullitatem poterunt in usu iurium vere episcopali, sed solum poterunt illud efficere illicitum. Prout, quidquid censeant theologi, valida est absolutio a sacerdote collata casibus reservatis etsi illicita, quia potestas radicalis absolvendi provenit ex ordine prorsus indelebili. Immo magis valet haec ratio quoad episcopos relate ad pontificem, quam quoad presbyteros relate ad episcopos. Etenim ex S. Thoma :

« Potestas sacerdotis exceditur a potestate episcopi, quasi a » potestate alterius generis (87). » Nequeunt igitur reservationes pontificiae iuribus propriis episcoporum, inter quae recensetur relaxatio impedimentorum coniugalium, documentum afferre, ita ut possint ipsi veniam dare, quin etiam et debeat in relaxationibus, quae dicuntur iustitiae.

Verum machina haec tota facile concutitur atque dissolvitur. Etenim falsa est exhibita definitio in eo quod dicitur *impedimentum exercitii priorum iurium*. Siquidem eiusmodi definitio non verificatur quoad delegantem ac delegatum. Etenim dele-

(85) Op. cit. pag. 190.

(86) Ibid.

(87) Suppl. q. XL. art. 6. ad 5.

gatus nullum ius proprium habet, sed ius omne unice derivat ex delegante, qui si retrahat concessam facultatem, illico cessat et evanescit ius omne in delegato, ut per se patet.

Falsum praetera est quod ait adversarius, reservationem superioris respectu inferioris locum habere non posse quoad pontificem relate ad episcopos, quum eorum iura sint inextinguibilia seu independentia, prout est ordo, a quo proveniunt. Nam cum haec asserit, ipse pro certo sumit 1. iura episcoporum in re, de qua agimus, provenire ex potestate ordinis, cum tamen non proveniant nisi ex potestate iurisdictionis; 2. assumit inter iura episcopalia etiam ius per se reperiri relaxandi impedimenta dirimentia, quod tamen esse omnino a veritate alienum multiplici ex capite ostendimus; 3. assumit ius illud esse inextinguibile, ita ut, si non obstante reservatione, tribuant episcopi solutionem ab impedimentis, ea quidem illicita sit, non autem invalida: cum tamen et illicita et invalida sit, utpote data abeo, qui nulla potitur auctoritate. Nam etiamsi concederetur, quod falsum existimamus, iurisdictionem episcoporum singulorum esse immediate a Christo, verumtamen in eius exercitio ita obnoxia est totius Ecclesiae capiti, seu Rom. pontifici, ut irrita evadant acta, quae sine pontificia auctoritate, multo vero magis, quae contra eius auctoritatem ponerentur; 4. demum assumit, quod falsum omnino est, quasi perinde sit aliquid esse *inextinguibile*, ac *independens*; potest enim aliqua potestas esse inextinguibilis, quae tamen alteri subordinata sit.

Quoniam vero adversarius in medium afferit exemplum sacerdotum, qui sine iurisdictione impertinentur absolutionem a casibus reservatis, quae illicita quidem foret, non tamen nulla, ac si ageretur de opinione tantum theologorum, iuverit ipsi opponere canonem dogmaticum concilii Tridentini quo decernitur: « Si quis dixerit episcopos non habere ius reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat; anath. sit (88). » Ergo adversarius non in

(88) Sess. XIV. can. II. In praevia autem doctrinae catholicae expositione

liberam theologorum opinionem, sed in fidei dogma impegit. Tales sunt theologi illi, qui iura pontificia seu apostolicae Sedis adorintur!

Ad germanam Angelici doctoris mentem assequendam, satis erit integrum eius textum exhibere. In allegato enim art. 6. hanc sibi S. doctor quaestionem proponit: *utrum super episcopos possit esse aliquis superior in Ecclesia?* post allatas nonnullas auctoritates ita respondet: « dicendum, quod ubicumque sunt multa regimina ordinata in unum, oportet esse aliquod universale supra particularia regimina... Et ideo cum tota Ecclesia sit unum corpus, oportet, si ista unitas debet conservari, quod sit aliqua potestas regativa respectu totius Ecclesiae supra potestatem episcopalem, qua unaquaque specialis Ecclesia regitur: et haec est potestas Papae; et ideo illi, qui hanc potestatem negant, schismatici dicuntur, quasi *divisores* unitatis Ecclesiae. » Quod cum more suo dilucide expousuerit, in responsione ad tertiam quam sibi obiecerat difficultatem, quod « superior potestas non potest conferri per inferiorum... unde etiam sacerdos non potest promovere episcopum, neque sacerdotem. Sed episcopus potest quemlibet episcopum promovere, quin etiam Ostiensis episcopus consecrat papam. Ergo episcopalis dignitas in omnibus est aequalis, et sic unus episcopus non debet alii subesse. »

Resp. « Dicendum, quod potestas sacerdotis exceditur a potestate episcopi, quasi a potestate alterius generis; sed potestas episcopi exceditur a potestate Papae, quasi a potestate eiusdem generis. Et ideo omnem actum hierarchicum, quem potest facere Papa in ministracione sacramentorum, potest facere episcopus, non autem omnem actum, quem potest facere episcopus, potest facere sacerdos in sacramento-

concilium in eadem sess. cap. XIII. haec habet: « Quoniam igitur natura et ratio iudicij illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, per suasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem. »

» rum collatione. Et ideo quantum ad ea , quae sunt episcopalis
 » ordinis, omnes episcopi sunt aequales : et propter hoc quili-
 » bet episcopus potest alium consecrare . »

Ex quibus patet ideo affirmasse S. Doctorem episcopum exceedere potestatem sacerdotis in *altero genere*, quatenus fruitur potestate ordinis sive ordinationis, quae non potest convenire sacerdoti, qui ea destitutus est. Cum vero haec ordinis potestas communis sit episcopis omnibus cum Rom. pontifice, quem etiam episcopus potest consecrare, exinde intulit Rom. pontificem potestatem excedere episcoporum in *eodem genere*. Excellit autem in potestate regiminis episcopis omnibus, quibus praestantquam caput, et ex quo iuxta Angelicum praeceptorem omnis eorum iurisdictio provenit. Sic enim in eodem articulo in resp. ad 1. scribit : « Quamvis omnibus episcopis data sit communis potestas ligandi atque solvendi, tamen ut in hac potestate ordo aliquis signaretur, primo soli Petro data est, ut ostendatur quod ab eo in alios ista potestas debeat descendere (89) » Itaque prorsus abs re auctoritas S. Thomae hic affertur.

Quintum demum principium, quo adversarii utuntur, illud est, quod reservatio, quam sibi solis vindicant Rom. pontifices relaxandi impedimenta matrimonium dirimentia, non ex aliquo concilii canone, aut ex decretali aliqua Romani pontificis epistola, quae in iuris canonici codicem translata sit, promanaverit, sed ex sola consuetudine, quae a sex plus minus seculis ortum habuit: ex eo scilicet tempore, quo primum nova dispensationum inventa est disciplina. Iam vero tantae vis non est consuetudo, ut episcopos valeat *iure sibi proprio* privare.

Possemus absolute hoc negare principium, tum quia iuxta ea, quae antea ostendimus, assentientibus Du Casse et Van-Espenio, concilium Tridentinum relaxationum potestatem soli Rom. pontifici reipsa confirmavit, cum ad ipsum regulas in dispensationis negotio praecriptas praecipue direxit; tum quia

(89) Cf. Gerdil. op. et loc. cit.

hic agitur de potestate inherente ipsi primatui, quam Romani pontifices absque ullo iure positivo exercere valuerunt, adeoque opus non habuerunt sive concilii canone, sive epistola decretali in iuris canonici codicem translata. Et reipsa, oblata occasione, exercere eam non dubitarunt, non solum nemine reclamante, sed ultra episcopis urgentibus, ut ea in Ecclesiae bonum ute- rentur Rom. pontifices.

Verum ut insistamus in ipsa adversariorum theoria, quod ex sola consuetudine pontifices dispensaverint, nihil tamen ipsi proficerent. Nam praeterquam quod ipsa consuetudo tot seculorum serie firmata vim legis obtinet, talia sunt, quae eam comitantur adiuncta, ut infringi nulla ratione possit ac infirmari. Siquidem 1. eiusmodi est consuetudo, quae ab aliquo abrogari non potest, quin simul ea lex certissima violetur, qua inhibetur, ne quis inferior superioris statutum infringere, aut quoquo modo relaxare praesumat. 2. Eiusmodi est haec consuetudo, quae tolli nulla ratione potest, quin iura laedantur, quae uni pontifici convenient, ut idoneo loco ostendimus. 3. Agitur demum de consuetudine, quae quemadmodum coepit, ita hactenus invaluit ac perduravit Ecclesia universa probante.

Huc accedit, quod si haec consuetudo abrogaretur, robur prorsus ecclesiasticae disciplinae non enervaretur modo, sed disiiceretur, prout vidimus fassum esse Cabassutum, agnoscisse Tridentinos Patres, qui hac ipsa de causa noluerunt episcopis facultatem tribuere relaxandi in quarto consanguinitatis gradu (90). Ad eum igitur modum, quo contra legem nulla consuetudine praescribi potest, si ecclesiastica disciplina inde detrimentum capiat, ut Innocentius III. statuit in cap. *Cum inter. De consuet.* sic neque contra consuetudinem quidquam audendum est, ubi eius aut sublata aut imminuta vi, prout accidit in casu nostro, ecclesiasticae disciplinae exitium in re gravissimi sane momenti impendeat (91).

(90) Cf. Ioan. Sallier in op. cui tit. *L'opinion des canonistes, que le Pape seul peut dispenser sur les empêchements dirimants du mariage introduits par le droit positif.* Toulouse 1692.

(91) Cf. cit. Dissert. *De episc. in dispensationibus etc.* cap. IV.

Haud moramur in eo, quod postremo loco subditur de *iure* episcoporum *proprio*. Hoc enim perinde est ac assumere quod in quaestione est positum, quodque hactenus falsum ac erroneum esse ostendimus. Quemadmodum enim nemo ex epis copis statuere valet impedimentum dirimens, ita nemo potest illud relaxare.

Ex his colligimus, quid de eiusmodi auctoribus sentiendum sit, qui sub finem elapsi seculi undique insurrexerunt ad Ecclesiam perturbandam vexandamque, cuiusmodi inter caeteros fuerunt Pereira in Lusitania, Litta in Italia, electores ecclesiastici in Germania, Durandus a Millante in Galliis, Oberhauser in Austria, aliisque pene innumeri earumdem aliarumque gentium scriptores, quorum nomina veluti in terrae pulvere descripta vento ablata sunt, aut mala fama putruerunt (92). Iсторum omnium conamina in irritum cessere. Contra vero Romanae ecclesiae iura intacta adhuc dum manent. Idem dic de principibus, qui ab istiusmodi theologis et canonum interpretibus decepti in mandatis dederunt, ut « episcopi dispensent *iure proprio*, ipsis scilicet a Christo collato, atque exercito a suis primitivorum temporum praedecessoribus, » prout Iosephus II. imperator apposito decreto seu edicto fecit, et alii eum ipso et post ipsum solemniter edixerunt. Hi omnes cito defecerunt, at ecclesia Romana firma ac immota perstigit, et ita in posterum perseverabit, frustra eam dimovere ad intentibus communis conspiratione cunctis eius hostibus, quin quidpiam proficiant. Atque haec utriusque partis sors erit usque ad consummationem seculi.

(92) Pereira tractatum suum edidit de potestate episcoporum an. 1763. aduersus quem scriptum edidit Chatizel an. 1781. De edicto Iosephi II; de congressu Emsensi, aliisque per id temporis gestis. Cf. *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique pendant le XVIII. siècle* an. 1786. tom. III. pag. 58 seqq. et *Coup d'œil sur le congrès d'Ems.* auctore Feller. an. 1787. De gestis in Galliis sub finem seculi elapsi et init. sec. XIX. Cf. Carrière op. cit. tom. II. n. 1063. circa finem.

ARTICULUS IV. — Distinctione facta inter impedimenta dirimentia ex iure naturali et ex iure positivo infertur quounque se porrigit dispensandi facultas.

Si impedimenta matrimonium dirimentia essent pariter omnia ex iure ecclesiastico, eo ipso Ecclesia posset in singulis, iustis de causis dispensare. Sed quoniam quaedam sunt iuris naturalis ac positivi divini, litimes quidam in hac dispensandi facultate agnoscendi sunt. De plerisque impedimentis vix ulla potest esse dubitatio, nimurum prima fronte, patet Ecclesiam vel dispensare posse vel non posse. Difficultas potissima est quoad impedimenta consanguinitatis et affinitatis. De his itaque praecipue erit quaestio. At prius praestat generatim quaedam praemittere.

Impedimenta, quae oriuntur ex lege naturali, distribui com mode possunt in tres classes, quarum prima ea complectitur, quae matrimonia nulla reddunt, eo quod haec stricte iuri naturali adversentur; secunda illa comprehendit, quae licet non omnino ac presse matrimonia affiant, quae iuri adversentur naturali, nihilominus non sunt eidem plane conformia, seu contraria sunt iuri naturali minus presse sumpto; tertia iis constituitur, quae matrimonia illa attingunt, quae etiamsi naturali legi pariter presse sumptae non repugnant, quamdam tamen prae se ferunt communi hominum sensu difformitatem, seu indecentiam quamdam, ut vocant, a qua natura humana abhorret.

Igitur Ecclesia nullo modo relaxare potest impedimenta primae classis, ut omnes admittunt; quoad reliquas duas classes, absolute Ecclesia posset dispensare auctoritate illi divinitus data. Cum autem non omnia, quae licent, semper expediant, hinc fit, ut ea interdum, prout rerum adjuncta postulant, in impedimentis secundae classis relaxet, nunquam vero consueverit dispensare ab impedimentis tertiae classis ob turpitudinem, quae communi hominum sensu illis in haeret.